

secæ, sed intrinsecus, et transcendentalis respectus erga objectum) ideo non potest æque primo plures species, quæ in genere morali species sunt unire solum in linea naturali, et entitativa actus, sed in sua linea morali. Non possunt autem in illa uniri, nisi in illa subordinationem aliquam habeant ad unum aliquid primum, quod det speciem in genere morali.

LIV. At vero in actu externo non repugnat omnes illas species, seu malitias specificas confluere etiam si per plures actus elicitos a voluntate sint volitæ, quia in actu externo non relucent istæ malitiæ nisi per extrinsecam denominationem, non per intrinsecum respectum transcendentalem. Unde non repugnat eodem actu externo executivo omnes illos actus electionis se explicare, quatenus versantur circa eandem personam, et eodem actu sensibili, et corporali debet illa persona tangi.

Ad fundamenta in initio proposita referendo diversas sententias, ex dictis manet responsum.

QUOMODO DEBEAT ESSE VOLITA CIRCUMSTANTIA UT SPECIEM SUAM DET ACTUI?

LV. Quarto inquires: An circumstantia ut præbeat speciem, sive essentialem, sive accidentalem debeat esse per se volita, vel intenta. Et idem inquiri potest de ipso objecto, et fine quomodo debeat esse volitum, vel intentum ut specificare possit. In quo prius oportet supponere quot modis dicatur aliquid esse volitum, vel intentum, ut videamus quis modus requiratur, ut objectum specificare possit, vel cir-

cumstantia transire in conditionem objecti. Dicitur ergo aliquid volitum dupliciter, scilicet directe, vel indirecte, formaliter et expresse, aut virtualiter et implicite. Est aliquid directe volitum, quando in illud primo, et per se tendit voluntas tamquam in motivum volendi, vel ut in rem volitam, ita quod non sit volitum ratione alterius cui adjungitur, vel in quo continetur. Et dico ut in motivum, vel rem volitam, quia non est necesse ad hoc ut aliquid sit directe volitum, quod se habeat ut motivum primo, et per se: nam media sunt directe volita per actum electionis, et tamen non sunt motivum primo, et per se volendi; sed finis est ratio volendi, quia est id cuius gratia. Sufficit ergo quod sit res volita terminative in se, non ratione alterius in quo continetur; sed per se primo, id est, non in alio, aut ut contenta, vel consecuta ex alio, ut quando quis eligit medicinam pro sanitate, equum pro itinere, directe, et per se vult medicinam, et equum.

LVI. Est autem aliquid indirecte, aut virtualiter volitum, quando est volitum mediante alio in quo continetur, vel cui est annexum, vel ad quod consequitur, sicut qui vult ludere hora audiendi sacrum, vult non audire sacrum indirecte, et consecutive, et qui non recusat malitiam, vult averti a Deo, aut qui non recusat furari in loco sacro, vult ex consequenti sacrilegium. Et sic etiam ea, quæ concomitanter solum, et per accidens sunt volita, indirecte, ac virtualiter volita sunt.

LVII. Cum autem id quod directe est volitum ex aliquo motivo, et fine volitum esse debeat, potest continere quod honestas, vel malitia circumstantiæ, vel objecti dupliciter possit intendi, vel esse volita. Primo tamquam finis operis, et ope-

rantis, ut cum quis vult dare eleemosynam propter ipsam misericordiam eleemosynæ; si quis vult adulterium propter ipsam delectationem cum ista conjugata: secundo, potest esse volita ex fine operantis, et non operis, ut cum quis vult jejunium propter satisfactionem pœnitentiæ, aut eleemosynam propter divinum cultum, vel propter Dei amorem. Et aliquando potest etiam complacere, et velle ipsam honestatem operis, licet non motus ex illa, sed ex fine altiori, ut cum vult honestatem ipsam jejunii, ex motivo tamen pœnitentiæ: aliquando vero potest non attendendo ad ipsam honestatem operis velle opus ipsum ex alio fine, ita quod prorsus concomitanter se habeat ibi illa honestas, ut cum vult frugaliter comedere, non propter ipsam temperantiæ honestatem, sed ne prodige consumat opes. Idem enim faceret etiamsi in illo sumptu non esset honestas jejunii.

LVIII. In hac ergo parte communiter receptum est apud omnes, quod ut circumstantia mala transeat in conditionem objecti, velut objectum malum communicet malitiam actui, sufficit concomitanter, aut indirecte esse volitam malitiam aut non recusatam: nam fere nunquam malitia ipsa est intenta, et tamen peccat, qui eam non recusat, vellet enim peccator rem illam non esse contra præceptum Dei, et tamen quia de facto rem illam facit, peccat: ad malum enim sufficit quicumque defectus, etiam non directe intentus.

LIX. Nec dici potest, quod potest actus esse malus, etiam si malitia non sit intenta, et directe volita, non tamen erit essentialiter, et specificè malus, nisi intendatur illa malitia, sed solum accidentaliter. Nam contra est, quia si quis committat adulterium non intendens directe quod

illa mulier sit conjugata, sed potius oppositum desiderans, illud peccatum essentialiter est adulterium, et non solum accidentaliter; constat enim quod essentialiter est peccatum luxuriæ (nec enim est in alio genere) et non est essentialiter simplex fornicatio, quia non est soluti cum soluta, sed non conjugata; simplex autem fornicatio est soluti cum soluta, nec est in aliqua alia specie luxuriæ; ergo in adulterio. Imo si requiritur ad hoc ut sit essentialiter in aliqua specie, quod si intenta, et volita directe illa malitia, sequetur, quod ille qui accederet ad solutam volens, et desiderans, quod esset sua per matrimonium, talis non committeret aliquid peccatum, quod essentialiter esset simplex fornicatio, quia non intenderet directe accedere ad alienam, cum potius vellet esse suam, sic nullum esset peccatum, quia nullam essentialem speciem peccati haberet.

LX. Solum potest esse difficultas de circumstantia scandali, quando peccatum est publicum, quia hæc non videtur constituere speciem huius peccati, nisi sit intentum ipsum scandalum, nec sufficit habere rationem circumstantiæ, aut esse admissum, seu non recusatum tale scandalum, sed oportet esse intentum per modum finis, ut docet S. Thomas 2-2, quæst. XLIII, articulo III, præsertim ad tertium, et tamen constat quod peccatum hoc ipso, quod est publicum habet malitiam scandali, licet aliquis non intendat ruinam alterius, et tunc scandalum se habet ut circumstantia quid, seu effectus, seu damnum secutum.

¶ LXI. Respondetur quod in peccato scandali, aliud est quod per se sit scandalum, seu habeat malitiam scandali (quod solum pertinet ad scandalum activum quod de se scandalizat, nam scandalum passivum, seu acceptum, non datum, non est

peccatum) aliud quod scandalum sit speciale peccatum, præsertim loquendo de actu interiori, de quo loquitur D. Thomas quando docet requirere quod scandalum sit intentum ut sit speciale peccatum, loquitur enim de scandalo pro actu interiori, quo quis vult scandalizare. Primo modo, ut aliquod peccatum sit per se scandalum, seu scandalosum, sufficit quod sit publicum, tali enim peccato per se est annexum scandalum consecutum, et de se illud scandalum habet sufficientem malitiam ad dandam speciem, et per se scandalizat, ut docet S. Thomas citato loco, articulo primo ad quartum. Tamen, quia talis circumstantia scandali supponit peccatum illud in sua specie jam constitutum, quia peccatum publicum, etiam antecederet ad publicitatem speciem peccati habet, ideo non est speciale peccatum scandali illud peccatum, sed habet pro circumstantia quid illum effectum scandali, quod commune est omnibus peccatis publicis, licet dicatur scandalum per se, ratione circumstantiæ per se annexæ illi peccato quatenus publicum est.

LXII. Quare ut scandalum sit speciale peccatum, id est, per se primo, et essentialiter constituatur in specie scandali, oportet quod accipiamus scandalum in aliquo actu non supponente in se aliam priorem speciem peccati, sed quod ipsa ratio scandali sit prima species constituens in ratione peccati. Hoc autem solum potest inveniri in actu interiori: nam peccatum exterius non potest esse scandalum nisi sit peccatum publicum, atque adeo semper supponit speciem peccati, cui adiungitur illa publicitas in qua scandalum sequitur. Actus autem interior non accipit speciem scandali primo, et per se, et ante aliam speciem peccati, nisi sit intentum ut finis, tunc enim qui intendit rui-

nam alterius non solum habet adiunctum per se malitiam scandali, sed etiam habet illam pro objecto, et sic ab illo accipit primam speciem, et exinde etiam potest illam derivare in actum exteriorem. Quando autem non intenditur per se, et directe scandalum non est speciale peccatum scandali, id est, non habet primam, et essentialem speciem scandali ille actus, licet possit habere per se annexam malitiam scandali ut circumstantiam per se, si peccatum sit publicum, quod quidem habet de se aliam speciem peccati, verbi gratia adulterii, vel impudiciæ, aut furti, ex publicitate autem per se illi annectitur scandalum. Aliud est ergo esse aliquod peccatum per se scandalosum, quod ex circumstantia per se illi adiuncta convenire potest; aliud esse speciale peccatum scandali, quod est habere essentialem, et primam speciem scandali, quod non potest alicui actui convenire nisi intendendo, et directe volendo scandalum.

LXIII. Nec tamen in aliis peccatis currit ista ratio sicut in scandalo, quasi non possint speciem essentialem dare, nisi intendatur eorum malitia, seu damnum quod causant; quia in aliis peccatis non scandalose factis, sed occulte, ut adulterio furto, odio, etc. non supponitur aliqua alia species prior in tali actu, sicut in peccato publico supponitur dari aliam speciem peccati cui annectitur publicitas, et ideo, nisi extrahatur illa ratio scandali, et publicitatis a ratione circumstantiæ adiunctæ, non potest dare primam speciem, quæ sit species scandali. Extrahi autem non potest, nisi intendat, et velit directe ipsam publicitatem, et scandalum ita quod faciat objectum de eo quod est circumstantia mediante actu interiori sic intendente. In aliis autem peccatis, malitia ipsa etiam non intenta, sed

admissa, seu non recusata potest dare primam speciem, quia non supponit aliam priorem, cui adiungatur, sed ipsa potest bonitatem primo, et per se destruere, et speciem constituere, ut cum fit adulterium, vel mendacium, aut vana gloria, etc.

LXIV. Major difficultas est de circumstantia, aut objecto dante bonitatem, an requiratur esse per se, et directe intentam illam honestatem, ut det speciem actui, vel ut circumstantia transeat in conditionem objecti. Aliqui enim intelligunt non posse circumstantiam transire in principalem conditionem objecti, nisi sit per se volita, et intenta. Ad hoc enim ut sit objectum voluntatis requiritur, quod per se moveat, aut terminet actum voluntatis, non potest autem per se movere, et per modum objecti se habere nisi sit volita, et intenta. Aliqui etiam specialiter requirunt, quod ut actus sit virtuosus, objectum debeat esse volitum propter ipsam honestatem virtutis tamquam propter finem operantis, seu cujus gratia, ita quod si quis ex motivo, et imperio alterius virtutis faciat non erit actus virtutis imperatæ, sed imperantis, verbi gratia, qui tolerat martyrium propter charitatem non propter fortitudinem, talem actum elici a charitate dicunt, non a fortitudine, quod tenet Vazquez hic disp. LI, cap. III, citatque pro se Ocham, Almain, Martinum de magistris. Et aliqui recentiores id sequuntur, et nos supra rejecimus.

LXV. Alii per aliud extremum sentiunt non requiri quod objectum, vel circumstantia bona sit per se volita, et intenta ejus honestas, ut finis operantis, vel finis, seu objectum operis, sed sufficit concomitanter esse volitam, aut indirecte, et virtualiter, sicut dicimus de ipsa malitia, quæ ut speciem actus con-

stituatur non requiritur, quod per se, et directe sit volita. Ita Lorca hic disput. XLVII, censetque esse communem inter theologos antiquos, et aliqui etiam recentiores id sequuntur. Denique alii existimant quod ad hoc ut actus habeat bonitatem ex objecto, non requiritur ut honestas ipsius actus sit volita tamquam finis operantis, bene tamen ut sit volita directe tamquam finis operis, finis enim operis est objectum, et hoc directe, et immediate debet attingi ab actu, alias objectum non erit. Eadem autem ratio videtur esse de circumstantia dante speciem, quia istam non dat, nisi transeat in conditionem objecti, aut quantum est ex se transire possit, conditio autem objecti est ut sit directe attactum, et volitum secundum suam honestatem, vel malitiam.

LXVI. In hac re duo existimo esse dicenda. Primum, quod ad specificandum actum bonum, et honestum non requiritur quod ipsa honestas objecti sit motivum, et finis etiam ex parte operantis ut det speciem bonam actui, sed sufficit quod sit motivum, et finis ipsius operis etiamsi ex alio motivo priori imperante moveatur ipse operans ad volendum talem rem. Secundum est, quod ut objectum bonum, et honestum specificet actum, vel ut transeat circumstantia in rationem objecti, et habeat vim specificandi, requiritur quod non solum concomitanter, aut indirecte sit attactum, sed immediate et per se, aut saltem circumstantia sit talis, quod per se sit attingibilis directe, et immediate, et potens dare primam, et essentialem speciem, licet de facto non det, quia appetitur supponendo aliam priorem speciem in actu, eo modo quo supra dictum est de specie accidentali circumstantiæ.

LXVII. Primum dictum supra a nobis probatum est contra Vazquez,

et ostensum non requiri ad habendam bonitatem ex objecto, quod ex honestate illius ut ex primo motivo voluntas moveatur, sed etiam si actus sit imperatus ex superiori motivo retinere speciem essentialem ex objecto, accidentalem autem ex fine imperante. Et manifestum est non amplius requiri, quia ad dandam speciem actui non requiritur, nisi quod aliquid se habeat ut objectum, si quidem specificatio actus ab objecto sumitur, ut a causa formali extrinseca. Ergo si salvatur, quod aliquid sit objectum, salvabitur specificatio illius. Ergo ad dandam speciem honestatis, et bonitatis essentialiter et per se, impertinenter se habet, quod objectum etiam sit finis operantis, sufficit quod sit objectum, quod est finis operis: si enim specificatio, ut specificatio ab objecto provenit, quidquid non per modum objecti se habet, impertinenter ibi ponitur, et non conducit ad specificationem. Esse autem finem operantis, aut imperantis non est ratio objecti, neque ratio causæ formalis extrinsecæ, sed causæ finalis; ergo hæc non requiritur ad specificandum actum bonum in ratione honesti, et boni, dummodo objectum honestum sit. Et ad hoc conducunt omnia, quæ præcedenti disputatione adduximus contra Vazquez probando speciem essentialem actus non sumi ex fine imperante, nec ex intentione operantis, sed ex objecto, finem autem imperantem esse circumstantiam, et dare speciem accidentalem.

LXVIII. Secundum dictum probatur, nam de ratione objecti specificantis est, quod det speciem actui, illumque constituat in sua quidditate, et diversificet ab aliis; ergo non debet supponere aliud prius, quod attingatur ab objecto, et in quo ipsum contineatur. Patet consequentia, quia si supponit aliud

prius, vel illud dat speciem essentialem, vel accidentalem. Si essentialem; ergo objectum postea superveniens non dabit speciem, quia data supponit: si accidentalem; ergo non potest esse prior substantiali, et essentiali specie, quia accedens sequitur ad essentialiam, non antecedit, et sic si præbet accidentalem speciem non potest esse id in quo virtualiter, et indirecte contineatur species essentialis objecti, sed necessario præcedere debet objecti specificatio; ergo et objecti attingentia debet esse prior, et immediatior; ergo non in alio priori contenta; ergo nec indirecte, et virtualiter volita, quia quod indirecte, et virtualiter est volitum, in alio est volitum, et contentum; quod autem est objectum, aut conditionem induit objecti non potest in alio esse volitum, quia non supponit aliud prius, cum objectum det speciem, et essentialiam, quæ semper est prior, et fundamentum cæterorum; ergo oportet quod habens rationem objecti, vel conditionem illius, sit ratione sui volitum, non in alio, nec ut contentum in alio.

LXIX. Hoc ipsum deducitur manifeste ex doctrina Aristotelis et D. Thomæ. Nam sanctus doctor in hac quæstione xix, art. vii ad tertium inquit: « Quod ut voluntas sit bona requiritur quod sit boni sub ratione boni, id est, quod velit bonum, et propter bonum. » Si requiritur quod sit boni sub ratione boni; ergo debet actus tendere directe ad ipsum bonum, et ad honestatem ejus, ad illud enim directe tendit, ad quod respicit sub tali ratione, non ergo sufficit velle bonum concomitanter, et indirecte prout in alio, sed sub ipsa ratione boni. Item Aristoteles II ethicorum, cap. iv, et S. Thomas ibi lect. iv, et 1-2, quæst. c, articulo ix, dicunt: « Ad hoc ut fiat opus virtuosum, et honestum tria requiri.

Primo, quod qui agit illud, agat sciens, deinde eligens propter ipsa, tertio si firmo animo, ac immutabili agat: » ubi D. Thomas citata lectione quarta explicans illud verbum agens propter ipsa, sic inquit: « Quod electio operis virtuosus non sit propter aliquid aliud, sicut cum quis operatur opus virtutis propter lucrum, vel propter inanem gloriam, sed sit propter hoc, scilicet propter ipsum opus virtutis, quod secundum se placet ei, qui habet habitum virtutis tamquam ei conveniens. » Ubi clare S. Thomas requirit quod non solum actus ille non sit propter malum finem negative, sed etiam positive, quod ei placeat tale bonum secundum se, quod stare non potest nisi directe sit volitum, quia quod indirecte est volitum non placet secundum se, sed ratione alterius, in quo continetur, et in quo est volitum. Nec etiam requirit, quod sit volitum ut finis operantis, sed solum ut objectum secundum se placens, et conveniens, ut enim sit placens sufficit quod placeat ut objectum, etiamsi non ut finis operantis; ergo hoc sufficit ad rationem objecti specificantis actum bonum, et consequenter ut circumstantia transeat in conditionem objecti.

LXX. Nec dici potest cum Lorca, Aristotelem non requirere illam conditionem, scilicet quod eligat propter ipsa, ut actus sit bonus absolute, sed ut sit perfecte virtuosus, id est, ex habitu virtutis procedens. Hoc enim est intentum Aristotelis in illo capite discutere, an omnes qui justa, et temperata agunt, justii et temperantes sint. Et respondet negative, quia non dicuntur justii, et temperantes, nisi cum illo triplici modo, seu conditione operentur. Et sicut requirit, quod fiant firmo animo, id est, ex habitu, non ut simpliciter actus ipsi sint boni, sed

ut perfecte sint virtuosii, sic non requirit alias duas condiciones ut absolute sint boni, sed ut perfecti, et virtuosii.

LXXI. Contra hoc est, quia Aristoteles in illo loco ponit differentiam inter artem, et virtutem in hoc quod ad artem sufficit, quod opera ipsa quæ artificiose fiunt, in se bona sint in facto esse, non autem requiritur quod bene fiant ab operante. Actus autem virtutis non solum requirunt quod opus factum sit bonum in se, sed etiam quod debito modo fiat; qui modus debitus requirit illa tria, scilicet quod sciens, quod eligens propter ipsa, quod firmiter, seu ex habitu faciat. Ubi condistinguit facere ex habitu ab eo quod est facere propter ipsam bonitatem; ergo hoc quod est facere bonitatem non solum in actibus perfectis, qui fiunt ab habitu requiruntur; sed etiam in actibus minus perfectis, qui ex habitu non fiunt, sed ante habitum, alias frustra iste modus distingueretur ab eo quod est facere ex habitu; ergo ante virtutem generatam requiritur iste modus, et condistinguitur ab illa, quia virtus habitus est. Constat autem ante habitum virtutis acquisitum, et generatum fieri actus bonos, et similes illis, qui fiunt ab ipso habitu, etsi non ita perfectos, et firmos, quia ex similibus actibus generatur; ergo si sunt similes, sunt virtuosii; ergo debent esse propter honestatem virtutis, alias si propter honestatem non essent, non producerent habitum inclinantem ad operandum propter honestatem, cum tamen habitus ad id inclinet.

LXXII. Objicies primo: Nam ad hoc ut objectum pravum specificet non requiritur, quod directe sit volitum (ut supra diximus) ergo nec ut objectum bonum specificet requiritur, quod directe sit volita honestas ejus. Consequentia probatur,